QUAESTIO MEDICA.

12. novembris 1712.

M. Ioanne Henrico Imbert, Doctore Medico Præside.

In juvene convenientibus organis instructo, nunquamne desperanda Venus?

I.

Fertilis ornamentorum campus, femina: mentis pollet illa dotibus & corporis. Omnium non eadem forma elegantia, non una cupiditas. alia munditie simplex amatur necessario. alia custodit arte pulchritudinem, ne contra se facies imperium exerceat. Hæc servit ambitioni, illa divitiis, vix ulla veneris immemor. adeo blandum res venerea malum est. amori lata patent corda similiter & tristia. non ille modo occupatio animi otiosi sed ardua molientis. virum mulier appetit, mulierem vir. Quidquid in natura, totum ad generationem. Otia si tollas non periere arcus cupidinis. Venerem tempus est quo negligas sine dedecore. mollis infantia sustinendo impar operi. impunè non recusat juventus robustior. turgens in conceptaculis semen, nisi licita venus minuerit, cæca putredinis labe inficitur. totus vitæ labor æternitatis cura & speciei propagationis: omnibus insitum immane generandi desiderium, facultas denegata quibusdam: Naturam diceres non tam ipsis fuisse parentem quam novercam. De juvene conclamatur quem non ad ætatem constitutam movet libidinis œstrum. In illo nunquam desperanda venus, in quo nullum est generationi impedimentum insuperabile.

II. VI

Stupendum naturæ opus, generatio. mutua inchoatur penis uterique societate, debita perficitur feminæ constitutione. Erectio, fœcundi liquoris ejaculatio, viro necessaria. partium illius genitalium mirabilis apparatus. tortuosus canaliculorum plexus, testes. eorumdem congeries tubulorum, Epididymides. plurimus cellularum inter se communicantium numerus, Vesiculæ seminales.

glandularum opus peculiarium. Seminis secretio, varia testium circumvolutionis elaboratio, vesicularum concameratio, fibrarum, retis instar, contextus, penis. Nunc liber sanguinis circuitus per labyrinthi gyros, hinc mollities: nunc difficilis, hinc rigiditas. totius artificii instrumenta, musculi erectores. ab illorum contractione venarum pressio, a relaxatione remissio. ict erectio amplius morbus, sic obstinata flacciditas vitium. spretus jacet sine honore arcus semper humilis. gutta membri virilis serena impotentiæ species illa. Hâc qui laborat virilitatem mentitur organi pulchritudine, larvatum deponit in opere simulachrum. colori nimium non credunt venerem qui tractant familiariter. mulieri inimica gens impotentium genus. Durum sitire semper, ardorem extingui nunquam.

III.

Impotenti laboriosa possessio, uxor. tota si ruit in illam venus, sponsum urit castitatis amor. nutricula cupidinis, juventus. dives spiritibus sanguis æstuat, iisdem exhilarata frequenter organa incalescunt. hinc in ludo amatorio athletæ juvenes plurimi. felix ætas quam venus amat, felicior illi si nunquam invideret. Noscere non datur omnibus dulces natos, amoris præmia. Connubii deliciis nec fruuntur spadones, nec ab illis speranda proles. Sunt quibus nocet sanguinis constitutio. denegatur quandoque facilis spiritibus via ad musculos. longior in aliis fovetur organorum imbecillitas. nulla putes impedimenta generationi in juvene convenientibus instructo organis insuperabilia. Nativam fluidorum indolem si scruteris, varia pro variis ætatibus. nimiâ phlegmatis copiâ regurgitans sanguis in infantia, humidus: floresceit in juventute & ætate virili calidus, salium sulphurumque prædominio; suis depauperatus spiritibus friget in caduca senectute. Infantibus nondum nota venus. extinctus jacet inter senes amor. naturam cavean tuis adstringere legibus. ludentem miraris ubique, homines fractos annorum pondere videre est calidæ constitutionis, juvenes nonnunquam frigidæ.

IV.

Plena spei juvenilis ætas. suis si non caret incommodis, præsidia nec illi desunt, quibus reparantur. sopitos per longum tempus suscitare valet amoris igniculos. juvenibus nihil arduum. pruritum removet libidinis humidior sanguis. quid mirum obruti phlegmate spiritus enervantur; hinc mutuum languet corpus inter animamque commercium. Semen iners dulci titillatione non invitat ad venerem.

uterus fecunditatis amans si arripit, decipitur. mutabilis illa juvenis constitutio. dubitas? mechanica demonstrant leges fermentationisque. ab ortu ad annos viginti quinque partium accretio, vigor ad quadraginta circiter, ad mortem usque deperditio. firmior in viro solidorum compages, robustior & motus; hinc seri redundantis in partibus dissipatio. fluida vividius effervescunt; inde salium sulphurumque evolutio major. frustra igitur de juvene desperes, in quo latet adhuc amoris aculeus. præpeditâ spiritibus viâ ad erectores sese non attollit penis, ad ejaculatores musculos semen non propellitur. immedicabiles qui putat in juvene obstructiones rationi consulat & experientiæ. Membrorum paralysis in juventute insanabilis ne annorum serie? quot herniæ, capitis, ventriculi, pectoris infirmitates tempore restitutæ? quidni & reparentur organa generationis? mulierum est, non naturæ suos virili potentiæ præscribere limitas. signa præstant alii præmaturæ, alios videas tardiùs robustos.

V.

Malum mortalibus ineluctabile, senectus. dum loquimur fugit invida ætas irrevocabilis. in senibus feriatur amor. languent organa generationis. hic est spei terminus. ne mireris. longo tandem exercitio debilitatus solidorum tonus hebescit. hinc lenta sanguinis effervescentia; parca spirituum secretio, obstructiones, innumera morborum cohors. sua noscant bona juvenes, nec illis abutantur. si sunt veneris impotentes, ad organorum attendas constitutionem. optima est, ne desperes. tardos quandoque edit fructus terra ferax. eodem tempore organi cujuslibet non augmentum idem, roburque, non eadem deperditio. ille concoquit impigrè, tenerâ laborat pulmonum compage. hunc recreat omnis aër; solvit vel rarus concubitus: quid mirum si fovetur nonnunquam in juvenibus genitalium imbecillitas. occupationes à teneris, negotiorum multitudo; studii amor, exercitii defectus, spirituum distrahunt influxus. illorum quæ fit animo jactura, corporis reparatur dispendio. solida corroborantur in ætate virili, incalescit sanguis, mulierum consuetudo rara antea, familiarior; hinc spiritus frequentes ad organa, vivida illorum oscillationes, seminis elaboratio perfectior, salacitas major. repititis partium ictibus superantur tandem obstructiones nondum firmatæ. ossa quin & etiam sero redundante curvata restituuntur. juvenibus nihil arduum.

Ergo in juvene convenientibus organis instructo nunquam desperanda venus.

Proponebat Parisiis Petrus antonius lepy Parisinus B. M. 1712.